

magnitudinis solùm notabilis, sed etiam proportionatæ magnitudini orbis: in qua opinione diu postea perstitimus, tandemque, cum *Stevini* locum superius allegatum evolvissimus, penitus confirmati, ac nihilominus (quod meritò quis miretur, & nos in cautionem aliorum, ne præproperè judicent ex observationibus non circumspetissimè prius ex omni parte examinatis, ingenuè hic confitemur) falsi fuimus.

V I. Alia namque vice cùm eadem hæc experimenta iterandi lubido nos incesseret, placuit in vicem orbiculi nostri grandioris ex ligno abietino detornati, alium ex pyri lamina solidiore sive duriore probeque dedolata resectum, sed minus spissum, ideo substituere, quòd illum ex multo humore imbibito tandem ita turgidum essemus experti in tantaminibus superioribus, ut intra cavitatem hydriæ commode ascendere descendereque non posset amplius. Alter igitur hic ex pyro cùm obpororum angustiam ab hoc incommodo immunis fore videretur, experimentum ordinarium Phæn. VIII. ritè subiens suprà foramen hydriæ E F, cùm nihil minùs speraremus, æquè nunc hæsit, ac pridem fecerat ille parvulus in Phæn. VI. memoratus, tametsi diametro & amplitudine disci effet illi abietino prorsus æqualis, spissitudine verò etiam minor; idemque posteaquam alterâ tertiaque vice de integro capto experimento contigisset, è vestigio quoque hypothesis illa nostra de certa proportione foraminis ad orbiculi magnitudinem requisita prorsus concidebat, & ex adverso justa nunc animum subibat suspicio, non tam ex foraminis exilitate aut incongrua proportione, quàm ex orbicularum minus exactâ planitie dependisse superiores defectûs; id quod nova utrorumque inspectio porrò confirmabat, qua tornos factos in basin introrsum manifestò excavatam, uti fieri solet, terminatos evidenter conspiciebamus.

V II. Renascebatur hinc spes pristina, etiam cum parvulo foramine negotium esse successorum, dummodo orbiculi nostri dolabrâ complanati, non illi torno facti, adhibentur;